VINDICIÆ AUGUSTINIANÆ

AUTHORI SUO

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D. HENRICO DE NORIS VERONENSI

Ordinis FF. Erem. S. P. AVGVSTINI

S. R. E. Cardinali

obſervantiſsimè nuncupatæ,

QUAS

PRÆSIDE

F. GERARDO MELYN

In alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctore, & Profeſſore, intra Octavam S. AUGUSTINI,

TUERI CONABITUR

F. BALDUINUS DE HOUSTA

Ejuſdem voti

Antverpiæ in Templo PP. Auguſtinianorum die 3. & 4. Septembris hora 3. poſt meridiem.

ANTVERPIÆ,
Apud BARTHOLOMÆUM FOPPENS, in foro Ovorum ſub ſigno trium Monachorum. 1696.

185





INENTISSIMUS AC REVERENDISS. DNŪS

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO
D. HENRICO DE NORIS
S. R. E. TITULO
S. AUGUSTINI
CARDINALI, &c.

EMINENTISSIME PRINCEPS

PAtere, obsecro, ut VINDICIAS AUGUSTINIANAS, nostras dicam, an Tuas? Eruditione sua singulari toto orbe conspicuas, hodie Belgii nostri Emporium videat Antverpia, typis aliis recusas, sed compendio strictas. Da veniam, quia Tuæ sunt, non nostræ, quæ in novam quasi lucem prodire jam pridem gestiebant, superstitibus nonnullis priorum Controversiarum scintillis. Alio sane Defensore non eget (si tamen ullo eget) AUGUSTINUS, ubi calamum vel unus stringit NORISIUS: nemo quippe Sancti Patris sensa assecutus est feliciùs, exposuit clariùs; nemo arcana illius penetravit profundiùs, abstrusa quæque enodavit expeditiùs.

Sic est profectò, SAPIENTISSIME PATER, murum Augustino æneum Te posuit Deus, Te Patris tui Vindicem divina destinavit Providentia, Te turrim firmissimam cælestis extruxit Gratia, ex qua non minus se, quam suum olim, & modò fidelissimum Propugnatorem, Præsulem, inquam, tueretur Hipponensem.

Sapientiæ Tuæ fabricam ab imis fundamentis, juvenilibus scilicet initiis, & profectibus Philosophicis delineare prolixum. Theologicæ scientiæ cacumen veluti in transitu & obiter lustrare sat est. Sed quid de eo dignè edicere vel incipiam, vix occurrit: quidquid enim in Theologiæ Athenæo sublime est, & difficile, complanasti; quidquid versipellis Pelagianorum industria effingere potuit, confregisti; quidquid effrænis luxuriantium ingeniorum licentia protulit, refutasti. De Prædestinatione scripsisti sagaciter, de Gratiâ efficaciter, de Arbitrio feliciter, de Concupiscentia illibatè; de Charitate locutus es fervidè, de Peccato zelosè, de Virtutibus altè. Verbo dicam; de omni sacratioris scientiæ supellectili, Augustinianè.

3. Prædestinationem hominum planè gratuitam, id est, ab omni prævifo arbitrii merito independentem; apertiſſimè tradit S. P. Auguſtinus variis in locis. Ejus verba hic exprimere & prolixum, &, quia ubique ſunt obvia, ſupervacaneum foret. Verùm Angeli, quia aliis cadentibus libero ſteterunt arbitrio, non niſi ex meritorum præviſione ad beatitudinem ſunt electi. Reprobatio à quibuſdam in negativam & poſitivam diſpeſcitur. Negativa eſt non electio; quæ peccatum originale præſupponere dicitur. Poſitiva eſt, quâ Deus hominem non dumtaxat in damnata maſſa relinquit, ſed determinatis gehennæ ſuppliciis addicit. Hujus cauſa ſunt peccata omnia, in quibus quis prævidetur moriturus. Cæterùm diſtinctio hæc non admodùm videtur neceſſaria.

4. Predeſtinatus ad vitam æternam aliquando gratiâ juſtificante, mortiferè peccando, excidit, quamvis certiſſimè in ſtatu gratiæ hinc ſit migraturus. Peſtilens eſt Calviniſtarum dogma, vel ipſi Orco inviſum, quod Prædeſtinatis quæcumque ſcelera non imputentur, ſed perpetuò maneant juſti, nempè per juſtitiam Chriſti ſtabiliter imputatam.

ACCESSORIUM.

Cum Presbyter adhuc eſſem, inquit S. P. Aug. lib. 1. Retract. cap. 23. contigit, ut apud Carthaginem inter nos, qui ſimul eramus, ad Romanos Apoſtoli epiſtola legeretur, & quædam interrogarer à fratribus..... Et diſputans quid elegerit Deus in vondum nato, & quid in nondùm nato reprobaverit, ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem, non elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur. Sed Auguſtinum hoc ſuum dogma nimis immaturum, maturâ correctione retractantem audi. Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc inveneram qualis ſit electio gratiæ. *Fidem, quàm primò ex nobis eſſe putavit, gratuitis Dei donis poſtea conſtanter accenſuit; adeo ut efficaci gratiæ Chriſti & fidei initium, & virtutis profectum, & perfectæ dilectionis affectum, nec non perſeverantiæ effectum unà cum beatitudinis præmio adſcribi voluerit.*

§. 2.

OECONOMIA GRATIÆ.

I. Quandoquidem Gratiæ myſterium cum Arcano Prædeſtinationis arctiſſimè cohæreat, & argumentum utrumque Eminentiſſimus Sapientiſſimè commiſceat, de eo hic agere lubet. In ſanctiſſimo Gratiæ Doctore Auguſtino evidens eſt, gratiam hominis integri & Angelorum fuiſſe adjutorium ſine quo non, quod homini ſolum poſſe, non agere, largiebatur. Hinc Angelorum perſeverantiam eorum libero adſcribit arbitrio. Sed potentiori auxilio ægra hominis voluntas indigebat, tali ſcilicet, quo fieret, ut bonum vellet, ageretque; *ſubventum eſt enim infirmitati humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur* in bonum.

2. Efficaciam gratiæ Chriſti vel hoc unum Apoſtoli dictum evincit: *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Cæterùm ubi de gratia efficaci ſermo eſt, eam cogita, quæ voluntatem non ſuaviter tantum moneat, ſed unà efficaciter moveat; non blandè dumtaxat ſuadeat, ſed inſuper potenter inclinet, ita tamen ut ſuam homini libertatem relinquat. Gratia proximè ſufficiens, quæ ſcilicet voluntatis determinationem, nutumque præſtoletur ut famula, & qua fulciente voluntas ſeipſam ad bonum erigat, modò non datur: Hæc naturæ integræ, ex Auguſtini mente, propria eſt. Aliquam tamen ad obſervantiam præceptorum remotè ſufficientem minimè abjiciendam cenſeo.

3. Adjutorium, quo mandata occurrentia obſervare, & in juſtitia accepta perſeverare queant, juſtis attribuit Concil. Arauſican. 2. can. 25. ex irrefragabili Gratiæ Doctore Auguſtino. Abſit ergo quis cogitet præcepta quædam homini juſto impoſſibilia. Sed an omnibus perinde Peccatoribus, etiam obduratis & excœcatis præſtò ſit gratia verè ſufficiens, qua ſe convertere & mandata quævis obſervare valeant? Sanctum Præſulem reſpondentem audi: *Prævaricatorem legis dignè lux deſerit*

deserit veritatis, quâ desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, vexatusque non surgat. De nat. & grat. cap. 22. Præsentis quæstionis nodum etiam attingit de corrept. & grat. cap. 11. ubi postquam edixerat, quod Adam sine sua culpa cecidisset, si adjutorium gratiæ ad perseverandum necessarium ei defuisset, palam pronuntiat; *nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Denique in S. Augustini scriptis obvium, quod Deus se impiè deserentes, justè quandoque deserat, & obduret. Porrò obdurationem intelligit, quæ fit indebitam subtrahendo gratiam, non impartiendo malitiam.

4. Ex dictis, aliisque S. Augustini locis & hoc erno; obduratos legis æternæ dictamina violantes novi peccati reatu obstringi. Sanè ubi de illis agit, qui ab Apostolo dicuntur traditi passionibus ignominiæ ob delicta præterita, disertè asserit, quod per cordis cœcitatem IN PLURA ET GRAVIA PECCATA PROLAPSI SUNT. Obdurationem sceleratorum non nemo nuper in eo constituebat, quod gratia proximè sufficienti, vel congruâ careant. Sed ex hoc asserto fluit, quod justos subinde oporteat fateri obduratos, cum moneantur aliquando à Deo petere, quod non possunt, scilicet proximè; quod consectarium à Schola Theologica procul eliminandum. An ergo præcepta homini obdurato prorsus impossibilia? Id certè in rigore impossibile censeri nequit, quod quis in manu & potestate habuit, atque opitulante Dei gratiâ, quam etiamnum accipere potest, præstare valet.

5. Omnibus sine exceptione hominibus vi mortis Christi infallibiliter dari gratiam, & media, quibus salutem adipisci valeant, fundamento caret. Quin haud obscurè falsum demonstratur in parvulis, qui festinantibus parentibus, Deo nolente (ita S. Augustinus loquitur) ad Baptismi lavacrum non perveniunt. Christum tamen sano, veroque sensu pro omnibus omninò hominibus, immò & cunctorum salute sanguinem fudisse, & mortuum esse non eo inficias.

CAVILLATIONES HUC SPECTANTES.

Cavillationes quibus auream Augustini de Prædestinatione gratuita, & Gratia per se efficaci doctrinam, Orbi Christiano invisam reddere moliuntur nonnulli apud Eminentissimum Cardinalem, ad tria capita reducuntur.

1. Eam admodum implexam, & densâ quasi caligine involutam altùm conqueruntur: sed appositè Eminentissimus monet, & eruditè demonstrat obscuritatem, quæ in his sancti Augustini dogmatis subinde occurrit, non nisi ex rei, quæ tractatur, gravitate & altissima mysteriorum profunditate proficisci.

2. Antilogiarum rugis eam fœdè dehonestatam exhibere nituntur. Sed & hoc infundatè prorsus & infeliciter. Nihil profectò contradictionis in Augustini placitis offendet, quisquis libero illum animo, & vigili oculo lustraverit. Quid miri, quod Antilogias Augustini scripta volvendo somnient, qui oscitanter adeò illum legunt, ut Hæreticorum objecta, quibus diluendis S. Pater occupatur, tamquam ipsa ejusdem sensa capiant, & aliis obtrudant? Inanis illa Contradictionum imaginatio ex eo quoque originem ducit, quod nonnulli neglectis librorum fontibus, textibus mutilis, & detruncatis sancti Patris verbis inhæreant. Id etiam non rarò intervenit, quod ad authoris materiam & scopum non satis attendant, & totam rei tractationem pervolvere pigeat.

3. Sanctum Doctorem in Hæterodoxos, eorumque hæreses acriùs invectum, æstu disputationis à medio veritatis, ad oppositorum errorum extremitates nonnumquam declinasse, imperitis persuadere conantur. Rationem audi: id nempè visum Augustino, ut hæreticos ad medium veritatis facilius feliciusque adduceret. Scilicet tam imprudens, & cœcus adeò fuisset Augustinus, ut non vidisset Hæreticos tam enormi locutionis excessu, & asperæ falsæque opinionis objectu, ab amplexu veritatis orthodoxæ, ut horribili quâdam larvâ contectæ, potius avertendos. Hoc dilemmate homines illos constringo: vel S. Patrem sensu ad errores inflexum volunt; & Ecclesiæ Doctorem erroris stigmate irreverenter inurunt. vel solam ejus locutionem ad hæreses alludere, & erroribus colludere dicunt; & imprudentiæ labe virum oculatissimum aspergunt: hoc pacto enim in errores induxisset incautos.

ACCESSORIUM.

Cum ultima hac cavillatione jam satis rejecta penè coincidit hoc cujusdam ad aperta Sancti Augustini testimonia responsum : PLUS DIXIT, MINUS VOLUIT INTELLIGI. *Profectò spinarum plena hæc apparet responsio ; etenim non efficaciter ex Sanctis Patribus argumentabimur imposterum. Quis enim ipsos sibi manifestè adversos cernens, dicere non poterit :* PLURA DIXERUNT, SED MINUS VOLUERUNT INTELLIGI*? Si ad Bullas Pontificum responderem,* plura dixerunt, minus intelligi voluerunt ; *illusionem potius, quam responsionem meritò diceres. Si tibi Eucharistiæ fidem è Patribus probanti, paria Hæreticus regereret, nempè præsentiam Christi non realem & propriam, sed impropriam, in figura scilicet asseri ; quibus ipsum armis planè convinceres? Hic sanè angeretur quam plurimum, cui similes glossæ sunt in deliciis. Hos igitur clypeos abjice & acinaces, ne pereas armis propriis.*

§. 3.
CONCUPISCENTIA.

1. Concupiscentiam probè noverat Apostolus ex luctâ, quam sustinuit, continuâ. Adeo ei fuit invisa, ut peccatum appellaverit ad Rom. 7. Sed hoc peccatum, interprete Augustino lib. 1. Retract. cap. 15. ideò peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est. Hoc scilicet de concupiscentia carnis dicitur, quæ operatur in nobis motus suos, etiam quando eis non obedimus, dum non regnat peccatum in nostro mortali corpore (proinde ne quidem justi peregrinantur immunes) ad obediendum desideriis ejus: in justitia tamen nondum consummata perseveranter proficientes, ad ejus consummationem quandoque veniemus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda atque frænanda, sed nulla sit. S. Aug. Epist. 196. cap. 2.

2. Igitur quamdiu in corpore hoc mortali ambulamus, quibusdam concupiscentiæ, non ferri vinculis detinemur obstricti, etiam post Baptismum, licet enim reatus illius solvatur in Sacramento, manet equidem infirmitas, ut loquitur S. Pater lib. 1. Retract. cap. 15. seu ægra voluntas. Si quisquam dixerit, ipsam cupiditatem, seu concupiscentiam nihil aliud esse, quam voluntatem, sed vitiosam, peccatoque servientem, non resistendum. ibid. Ex mente igitur Sancti Patris Concupiscentia est habitus vitiosus ad malum inclinans ; minimè verò bonum aliquod naturale, sive perfectio, ad hominum propagationem primo Parenti indita. Hinc lib. 3. cont. Julian. cap. 21. Concupiscentiæ carnalis, qui modum tenet, malo benè utitur; qui modum non tenet, malo malè utitur: ubique indigitat *malam*. Reclamat Julianus, & *bonam* contendit, aurem obstruens Scripturarum monitis, quibus cupiditatem frenare, impugnare, imò & crucifigere jubemur.

3. Usque adeò mala est, etiam Renatorum concupiscentia, ut dicatur Deo verè odiosa. Hæc est Augustiniana veritas; cui suffragatur Synodus Tridentina in decreto de peccato originali, ubi Apostoli premens vestigia, concupiscentiam peccatum appellatam dicit, *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Idem haud obscurè innuit Gentium Doctor, ita conquerens ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ.* Absit tamen ut credamur assentiri articulis à Pio V. proscriptis: neque enim ex mente nostra concupiscentia, sive Lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ sentimus inviti, sunt vera Legis inobedientia & peccata, quasi verò etiam viriliter resistentes denominare possent, Legi inobedientes, reos, ac peccatores. Renatum Deus odio habere nequit, nisi ubi propriâ voluntate ab illo recesserit ; concupiscentiam tamen, etiam prorsus involuntariam, odit, utpote legibus suis & rationi contrariam.

4. Quamvis dicatur ex vero: non imputatur ad culpam concupiscentiæ sensus, si non adstipuletur voluntatis consensus ; id tamen de consensu expresso & formali perperam intelligeretur : siquidem quin consensus interpretativus ad reatum etiam mortiferum sufficere queat, ambigit prorsus nemo. Porrò pravis concupiscentiæ motibus interpretativè consentis, ubi eos, dum commodè potes, comprimere & sedare negligis. Sanè urbis seditio in Præfectum redundat, si eam, ne oriatur, impedire, vel ortam supprimere, contemnat : haud dissimiliter voluntas potentiarum sibi.

sibi subditarum, contra rectam rationem legemque Dei rebellionem, citra expliciti consensus suffragium subinde suam facit. Actionem ex se licitam, ex qua motus inordinatos, aliosque effectus malos prævides secuturos, omitte, nisi rationibus malo huic effectui præponderantibus ad agendum impellaris. Generali regula definiri nequit, quando concupiscentiæ motus in causa sint voluntarii, à multis id pendet principiis. Actualem ad motus inordinatos, eorumve malitiam, reflexionem, ut in peccatum cedant, non rectè postulaveris.

ACCESSORIUM.

AUgustinus dum adhuc Romæ demoraretur, voluit disputando quærere, unde sit malum. Colloquitur cum Evodio. Ratione diligenter discussâ constitit inter ipsos, malum ex libero voluntatis arbitrio esse: atque ita Manichæos convicit. Sed audaciores inde prodière Pelagiani, victoriâ ante triumphum tumidi, sic asserentes voluntatis arbitrium, ut Gratiæ Christi non relinquerent locum. Verùm tunc Augustinus Pelagianorum causam non egit. Voluntas quidem est, quâ & peccatur, & rectè vivitur; at nisi voluntas ipsâ Dei gratiâ liberetur à servitute, quâ facta est serva peccati, & ut vitia superet, adjuvetur; rectè pièque à mortalibus non vivitur. Sanè utiliter admodum proponitur necessitas gratiæ efficacis, quâ homines resurgant à vitiis, vincant concupiscentias, Legem mentis adimpleant: hujus enim veritatis perceptio ad humilitatem efficaciter inducit, & ad orationis studium vehementer accendit.

§. 4.

VIRTUTES INFIDELIUM.

I. INfidelium virtutes adversus Augustinum pro Gratiæ necessitate decertantem, ut Legionem validissimam sæpius in aciem deducebant Pelagiani, quibuscum proinde congredi cogebatur. Virtutis itaque indolem ad fibras excutiens S. Præsul, non merum actionis officium, sed finem voluit potissimùm consideratum. Porrò hujus principii face virtutes Philosophorum duplici ex capite plenâ laude reperit vacuas. Primò enim illas finis ultimi rectitudine destitutas conspexit; deinde mali, aut vani finis intentione ut plurimùm vitiatas deprehendit.

2. Ut hoc pleniùs percipiatur, pensandum, quòd omnis actio humana secundùm inconcussam S. Augustini doctrinam castâ Dei dilectione, actuali scilicet aut virtuali, ad Deum referri debeat. Ex hoc enim clarum evadet, homines eâ fide, quæ per dilectionem operatur, vacuos, actus undequaque bonos, & qui sine omni peccato fiant, exercere non posse, adeoque nec veris virtutibus ad mentem S. Augustini præfulgere.

3. Sciendum insuper virtutum officia, quæ charitate in Deum non eriguntur, ex ejusdem mente vitiosâ cupiditate, frequenter saltem, corrumpi. Etenim ubi homo veraciter in Domino non gloriatur, plerumque inaniter sibi per virtutum exercitia complacere deprehenditur. Augustinum audi: *Cum hæc faciunt homines sine fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam* (vel aliam virtutem) *pertinere, sive hominibus placere cupientes, vel sibi vel aliis, sive in iis rebus, quas concupiscunt, humanas molestias devitantes, sive dæmonibus sic viventes, non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 3 Eodem tendit illud ejusdem: *Cum ad suum authorem non referuntur dona Dei, his malè utentes, efficiuntur injusti.* Item hoc tritum: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera Sapientia præcipit, ipso non recto fine peccatum est.*

4. An ergo actum quemlibet charitatis ope in Deum non relatum, in se malum & intrinsecè vitiosum dicere oporteat? Hoc compertum nobis est, per omissionem relationis in Deum officia bona intrinsecè non maculari; iis id evincemus argumentis, quibus refragari nemo possit. Vitium igitur in illo casu & defectus relationis Operantem solum afficit & inficit, actionis officium non attingit. Sed ubi actio non relata in Deum per castam dilectionem ad finem malum aut vanum rapitur per vitiosam cupiditatem, intrinseco vitio laborat, & in se mala redditur: finis est enim anima operis, & actibus boni vel mali speciem tribuit.

5. Porrò

5. Porrò minimè dubitandum, quin in ipsa infidelitatis nocte, quædam subinde coruscationes gratiæ, bonæ inquam cogitationes, rectæque affectiones reperiantur; quod etiam S. Doctorem non latuit. Si quis autem in incommutabili æternæ veritatis luce virtutum officia approbante, ita sibi complaceat, ut ex illa complacentia v. g castitatem colat, fidem servet, justitiæ satisfaciat, hic actum undequaque bonum exercere videtur. Similiter qui ex pio credulitatis affectu, seu dilectione æternæ veritatis intellectum divinæ authoritati submittit, & ad assentiendum fidei mysteriis inclinat, hoc ipso actum fidei in Deum referre intelligitur.

6. Dictum Apostoli, OMNE QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST, aptè satis intelligit S. Pater de ea fide, quæ Conscientiam juxta rationis dictamen per ordinem ad ultimum finem dirigit, ut nitidè solidèque explicat Eminentissimus noster. Sed quo pacto omne illud v. g. eleemosyna infidelis peccati nomine indigitatur? Eodem, quo Ecclesia Sancto Spiritui canit: SINE TUO NUMINE NIHIL EST INNOXIUM. Peccatum est quidquid recto Conscientiæ dictamine ad ultimum finem non dirigitur, non ex parte Officii, sed ex parte omissionis relationis præceptæ; non quod operire nudum, quod fit ab infideli peccatum sit, sed de tali opere non in Domino gloriari, nullus jure neget esse peccatum.

ACCESSORIUM.

Julianus dixerat: liberum arbitrium solis libertatis ingenitæ viribus ad justitiam sufficere quis neget, præsertim si legis lucerna resplendeat? Respondet Augustinus: hæc est illa Pelagianorum mala malè diffamata, meritòque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari, damnata sententia. epist. 107. Quid est miseri quod dicunt, qui sine ulla dubitatione tanto Apostolo contradicunt? Ille dicit peccatum vires accepisse per Legem, & mandatum quamvis sanctum, & justum, & bonum, tamen occidere &c. Et isti indociles contra Lucem Dei cæci, & contra vocem Dei surdi occidentem litteram vivificare dicunt, & vivificanti spiritui contradicunt, de grat. & lib. arb. cap. 11. Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendant quotidianas orationes suas. De bono persev. cap. 7. Si alia documenta non essent, Dominica Oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret; quia nihil nobis relinquit; in quo tamquam in nostro gloriemur.

An ergo Lex in se noxia & mala? Resp. Augustinus: Lex Dei atque doctrina quamvis sancta & justa, & bona, tamen occidit, si non vivificet spiritus, per quem fit non ut audiendo, sed ut obediendo, neque ut lectione, sed ut dilectione teneatur: quapropter ut in Deum credamus, & piè vivamus, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: non quia velle non debemus & currere; sed quia ipse in nobis & velle operatur, & currere. Epist. 107.

§. 5.

PECCATUM ORIGINALE.

1. Peccatum originale dum audis, acerrimarum disputationum seminarium Augustinum inter & Julianum intelligis; at in quibus vincat Augustinus, estò se victum fateri nolit Julianus. Hic pugnat ratione, superat ille authoritate; quod non capit ratio, evincit Scriptura, quod non demonstrat scientia, docet fides; & cui inanis obsistit Philosophia, reverenter, lubenterque cedit animus illo spiritu doctus, ductusque, quo dictante scripsit Apostolus: *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, dum omnes (matrem excipe Virginem cum filio suo unigenito) peccatum Originis contraxerunt. Fabulantur qui noxam hanc jactitant umbraticam: veri nominis peccatum est.

2. Ex arcanis sacris veritatem hanc sic probat Augustinus, ut etiam rationibus, contra pertinacem

cem dimicando confirmet. In auxilium vocat vitæ hujus miserias, quas à Deo vindicante infligi cum Augustino novisse debebat & Julianus. Justus est Dominus, dum ærumnas multiplicat: & quomodo tueberis justum, si nullius peccati dixeris vindicem, trahendo creaturam innocentem per labores, doloresque innumeros? Justus est Deus; & ideo nascentes nec faceret, nec fieri sineret miseros, nisi nosset reos, lib. 6. oper. imperf. cap. 27. Immò quis dubitet, quòd injustè inferatur pœna imagini Dei, nisi hoc culpa meruerit? ibid. cap. 36.

3. Porrò quemadmodum actuale peccatum ex duobus constat, ex materiali & formali, ita & Originale, cujus pars materialis est ipsa concupiscentia, seu omnis intellectus ac voluntatis, aliarumque potentiarum inordinatio; formalis verò ipsa privatio justitiæ originalis, quatenùs primi parentis voluntate nobis voluntaria. In omnes transfunditur, sine pacto tamen Deum inter & Adamum: quod si admisisset Augustinus, non tam instanter ad explicandum miræ illius transfusionis modum, assiduè ipsum provocasset Julianus. Peccato originali nihil notius, nihil ad intelligendum difficilius. Non quæritur quo sit factum modo; credendum illi omni modo, qui mentiri nequit ullo modo. Nullatenus tamen admittimus actualia Parentum peccata pari ratione transfundi in filios; quod sancto Augustino perperam adscripseris.

4. Ex noxa igitur Originali nascimur filii iræ; & morimur, nisi per Sanctum lavacrum redditi fuerimus vitæ, filii vindictæ. Sic Juliano loquitur Augustinus, non plus dicens, & minus volens intelligi, in fidei hostes non cœco impetu irruens, non tortor infantum, zelo non excedens; præter intentionem nihil effatus; sed constantiâ tanto Præsule dignissimâ, quam ex sacris litteris hauserat, veritatem intrepidè pronuntians, nempe parvulos sine Baptismo ex hac vita decedentes, æternis tum damni, tum ignis cruciatibus jam inde adjudicatos. Ne frustra quæsieris locum medium, quem ipse postea invenire non poteris. Hoc argumentandi medium non agnoscit Præses justitiæ Deus: misericordiam præstat, dum mitiùs cruciat; exercet justitiam, dum irrevocabiliter damnat.

ACCESSORIUM.

Non est commentum novum fœcundo Heterodoxorum cerebro procusum, Peccata omnia esse æqualia: *fœtus ejusmodi Augustinus suo vidit sæculo: hoc Stoicorum placitum litteris suis inserere ausus fuit Nectarius, dum apud Præsulem Hipponensem institit, ut Calamensium scelus dimitteretur impunitum. Lepido utitur principio. Omnia paria, inquit, sunt peccata; quia & hoc & illud numeratur inter delicta. Sed audi, quam arguie regerat Augustinus*: Si propterea sunt paria, quia utraque delicta sunt, Mures & Elephantes pares erunt, quia utraque sunt animalia; Muscæ & Aquilæ, quia utraque volatilia. *Epist.* 104. *num.* 14. *vel ipsi Theologiæ Tyrones perspectum habent præter Originale dari peccata inter se longè diversa. Quædam ex natura sua sunt venialia, quædam mortalia, alia aliis graviora, quatenus rectæ rationis dictamini, uni vel pluribus, levius vel gravius repugnant; quamvis cuilibet crimini malitiam quamdam infinitam inesse non diffiteamur.*

§. 6.

LEX.

1. Ab initio creavit Deus hominem rectum, sic illum libero donans arbitrio, ut regeret imperio, terreret exitio. Sed ubi Protoparentes Legum nexibus inaudis constrictos, unà sufficientibus gratiæ adminiculis cogita instructos, si enim adjutorium ad præceptorum observantiam & justitiæ perseverantiam necessarium defuisset, Augustino teste, sine sua culpa cecidissent. Porrò ligamine vinciebantur non unico: etenim præter mandati positivi vinculum, quo ab esu fructus illius retrahebantur, plurima in præsenti quodam lumine sibi agenda, & cavenda cernebant. Sed ubi illa videbant? utique non in se, sed in ea, quæ supra mentem rationalem lucet, incommutabili Veritate, & verissima æquitate.

2. Lux illa, prout creaturæ rationali facienda & omittenda demonstrat, Lex æterna dicitur.

Hujus

Hujus legis idea, seu viva cognitio nobis apparet concreata, quæ legis naturalis titulo à SS. Patribus indigitatur. Lex naturalis digito Dei altè adeò cordibus hominum est impressa, ut eam nulla eradere queat iniquitas, arctè adeò ligat, ut ejus obligatio nec dispensatione tolli, nec epikeiâ mitigari, nec contrariâ consuetudine possit elidi.

3. Adamus ergo Legem positivam violando, Legem non penitùs amisit naturalem, quia peccando naturam non exuit humanam; densis tamen tenebris quædam Legis illius dictamina & regulæ sunt involutæ, ubi voluntas humana à superno & æterno illo Lumine se avertit longiùs, & scelerum profundo immersit altiùs. Neque tantùm ignorantiæ caligo intellectum obtexit, sed & debilitas ingens voluntatem invasit.

4. Dominus igitur Decalogum externis corporis objecit obtutibus, ut homo se intra se reflectens, Legis ibidem scriptæ vestigia legeret. Verùm Lex illa exteriùs quidem monebat, sed interiùs non adjuvabat: unde & Pedagogi loco ab Apostolo fuit habita. Nihil profectò de Lege ista protulit Augustinus, quod non jam ante fuerat effatus Apostolus Paulus: nec Legem, ut de se noxiam impetiit; quin potius contra ejus Adversarium pro ea calamum strinxit. Quid ergo? aliud ab ea adjutorium, quo impleretur, inquirendum, & è cœlo docuit postulandum.

5. Propterea Christus naturam assumpsit humanam, ut luce gratiæ suæ ignorantiæ caliginem ab intellectu humano depelleret, & voluntatem infirmam, ad servanda Legis dictamina efficaci adjutorio roboraret. Sed an ante Salvatoris adventum homines omni penitùs auxilio vixerint destituti? inter alia admodum implexa hoc nobis evidens est, quod non omnibus de gratia proximè sufficienti, urgentibus etiam præceptis naturalibus, fuerit provisum, ut notat Vir Eminentissimus. Hoc etiam indubitatum, quod non nullis ex vi passionis Christi, efficax obtigerit auxilium, quo Dei mandata fideliter observarunt, & in justitia finaliter perseverarunt. Hoc est, quod Joannes enuntiat, ubi Agnum ab origine mundi proponit occisum, Hoc est quod Augustinus docet, asserens quosdam in veteri Lege spiritû dilectionis ad novam pertinuisse, & nonnullos in novo Testamento Spiritu timoris ad vetus spectare.

6. Sed quoniam de Lege potissimùm hic sermo est, hæc jam dictis addenda succurrunt. 1. Quod Lex naturalis à nemine justo ignoretur invincibiliter, cum ubi ejus obligatio stringit, quid sit facto opus, aut instructionis medio, aut indaginis studio, aut orationis præsidio, scire valeat. 2. Quod prævaricatorem Legis dignè Lux deserat veritatis, & Deus spargat pœnales cœcitates super illicitas cupiditates. Ex quibus, Duce Augustino, solidè concludimus nullam penitùs juris naturalis ignorantiam Legis æternæ prævaricatorem à culpa eximere. 3. Quod probabilitas, ubi de Lege naturali quæstio est, agentem securum reddere nequeat. Immò omninò illicitum asserimus, actionem ponere juri naturæ verosimiliter repugnantem, quamvis supponatur moltò probabilius eam nihil malitiæ involvere.

ACCESSORIUM.

S*. Pater noster de seipso, & Patre suo Valerio sic scribit epist.* 213. *n.* 4. Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. *Ignorabat Augustinus can.* 8. *Conc. Nic. ne in una Civitate duo sint Episcopi. Non peccavit equidem, dum ex Legis hujus ignorantia characterem suscepit Pontificium. Lex erat positiva. Ne tamen aliis fieret, quod sibi factum esse dolebat, in Concilio Carthaginensi tertio cavit.*

§. 7.

COPULA CONJUGALIS.

I. SAcramentum hoc magnum est viri ac mulieris in una societate conjunctio, cui ab initio benedixit Dominus. Primis quidem temporibus generis humani, maximè propter Dei populum propagandum, per quem & prophetaretur & nasceretur Princeps & Salvator omnium Populorum, uti debuisse Sanctos isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessariò bono nuptiarum, docet S. August. de bono conjug. cap. 9. Fallor igitur, vel tunc matrimonium fuit in

præcepto.

præcepto. Attamen videtur hoc tempore solos eos, qui se non continent, conjugari oportere, secundùm Apostoli sententiam; si se non continent, nubant, melius est enim nubere, quam uri. ibid. cap. 10.

2. Multum hinc sibi præsidii fingunt nonnulli, ut persuadeant, quod detestabilis concupiscentiæ remedium finis sit Matrimonii, ita ut incontinentiæ vitandæ causâ debitum conjugale expetere liceat. Augustinum audiant: Bonum Conjugii non est fervor concupiscentiæ, sed quidam licitus illo fervore utendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus. Voluntas ista, non voluptas illa nuptialis est. De peccat. meritis cap. 29. Habent etiam id bonum conjugia, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. Ideo & Matrimonii contractum ad rationem Sacramenti Salvator elevavit, ut etiam mediante gratia medicinali humana sanaretur infirmitas.

3. Christus itaque ex Contractu fecit novæ Legis Sacramentum, cujus Ministrum instituit Parochum proprium, vel alium de ejus licentia Sacerdotem: cujus juxta ac duorum testium præsentia, etiam ad valorem Contractûs, requiritur in locis, ubi Tridentinum est receptum. Sacramenti hujus materia est legitimus utriusque Contrahentis consensus, forma verò verba Sacerdotis, hoc vel simili modo benedicentis: EGO VOS CONJUNGO &c. Unde tam solidum nascitur vinculum ut ne quidem Romani Pontificis arbitrio sit solubile, ratum licèt tantummodò fuerit: Religiosa tamen Professio sive per vota solemnia, sive per simplicia, singulare Privilegium consecuta est à Domino.

4. Porro ex matrimoniali conjunctione non una in Conjugibus oritur obligatio. Carnis debitum angit quamplurimos. Nec frustra: quia non quidquid in Matrimonio lubuerit, licet. Multi hodie, inquit S. Aug. de bono conjug. cap. 13. facilius se totâ vitâ ab omni concubitu abstinent, quam modum teneant. Non dubium, quin inter Conjuges libidines exerceantur lethales: nihilominus quidquid inter se conjugati immodestum, inverecundum, sordidumve gerunt, vitium est hominum, non culpa nuptiarum. Ipsa quoque debiti carnalis exactio sæpe est immoderatior, quam eis vitandæ incontinentiæ ergò, non secundùm imperium præcipit, sed secundùm veniam concedit Apostolus: ubi veniam audis, culpam agnosce. Enimverò conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam, concupiscentiæ tamen satiandæ, sed cum conjuge, propter fidem Thori, venialem habet culpam. ibid. cap. 6. & cap. 7. Conjugale debitum ultra generandi necessitatem est culpæ venialis. Numquid non hoc non est peccatum amplius, quam liberorum procreandorum necessitas cogit exigere à Conjuge debitum? Est quidem, sed veniale. Serm. 53. de divers. cap. 13.

ACCESSORIUM.

Alipius Augustini dilectissimus ex Palestina profectus, Africam repetiit, ubi statim vacante Tagastensi Episcopatu levatur ad Ecclesiasticum Patriæ suæ solium. At cur non potius Augustinus? Magister præ discipulo, cum & ipse Civis esset Tagastensis? Resp. Ab Episcopatu Augustinus abhorruit: unde ne ipse eò raperetur, alium pro meritis commendavit; immò jam inde Matrimonium inierat spiritale, suo presbyteratu Ecclesiæ Hipponensi alligatus & inauguratus. Ab illa non recedendum decrevit. Rationes alias petenti dabimus.

§. 8.
EUCHARISTIA.

I. MAgnum Iberiæ Decus, & Ecclesiæ Ornamentum S. Thomas Villanovanus de augustissimo Altaris Sacramento facturus verba, sic præloquitur: Post magnum & ineffabile Sacramentum, quo Verbum caro factum est, secundum opus hoc est, quo panis substantia in Corpus Christi mirabiliter convertitur, dicente Ministro, & operante Deo. Panis & vini substantia tota destruitur, reproductis Corpore & Sanguine Christi sub accidentium velamine. Sub utraque spe-

 cie,

cie, quia & sub qualibet earundem specierum particula, saltem post divisionem, Christus totus, Divinitas tota manet. O verè magnum fidei nostræ mysterium! Sed quid, obsecro, magnum est, si Christo Domino creditur! Fidei minuitur difficultas, ubi dicentis consideratur authoritas.

2. Eucharistiæ Sacramentum ad spiritualem animæ refectionem divinitùs institutum ex speciebus panis & vini; nec non Corpore & Sanguine Christi coalescit. Panem prærequirit triticeum, sive azymum, sive fermentatum, & vinum de vite, non ementitum; quidni tamen sufficiat congelatum? Aquæ modicum vino permiscendum: quod nisi feceris, Legis divinæ transgressor eris. Ad potum hunc cælestem; cibumque invitatur homo Catholicus, crimini non obstrictus: ad utriusque sumptionem destinatur Sacerdos, non Laicus; solum Corpus sumere huic sufficit, potare verò sanguinem necessitas nulla cogit. Quid si Peccator accesserit? Judicium sibi manducat & bibit. Si tamen ex amore Dei prædominante de crimine doleat, & non nisi urgente necessitate copiâ Confessarii destitutus accipiat, ejus ope justificationi verosimiliter restituitur.

3. Ad Communionem annuam tenetur adultus; numquid & ad realem parvulus? Hoc Augustinum aliquando docuisse clamant aliqui, quos solidè revincit Eminentissimus. Vix à limine salutaveris Augustinum, quin in tuos ultrò labetur oculos hæc Augustiniana per Norisium vindicata veritas. Contra Pelagianos dimicat S. Pater; & Parvulos sine Baptismo decedentes sic à regno excludit æterno, ut ne quidem Pelagiani amplius ipsis aditum invenire queant: vitam tamen quamdam fingunt perpetuam, quâ, etiam extra Regnum, beatos faciant. Præsul Hipponensis, ut regno exclusos, sic vitâ demonstrat destitutos. Primùm ex Joan. 3. 6. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Alterum verò ex Joann. 6. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

4. Et quomodo manducabunt? »Nulli ullatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium Corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur; nec alienari ab illo panis, calicisque consortio, etiam antequam panem illum comedat & calicem bibat, si de hoc sæculo in unitate Corporis Christi abscedat, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuti sunt. *Hoc est ergo* ex mente S. Patris, *manducare illam escam, & illum bibere potum in Christo manere, & illum manentem in se habere*, Tract. 26. in Joann. Proinde sententiam ante allatam de mystica illa manducatione Corporis Christi intellectam ad parvulos extendens, illos ex hac vita sine Baptismo emigrantes, non modò cœlo, sed & vitâ cariturus adversus Pelagianos solidissimè concludit; cum liquidò constaret illos nec realiter (quod fit in Eucharistia) nec mysticè (quod in Baptismo evenit) Corpus Christi manducare, & sanguinem bibere, quod tamen ad vitam divinum requirit Oraculum. Superfluum foret mentem S. Patris claram satis pluribus elucidare. Quamvis cælestis ille animæ cibus vitam spiritualem ex sua natura præsupponat; per accidens tamen animam peccato mortali mortuam vitæ restituere verosimiliter aliquando posset.

ACCESSORIUM.

AB Augustino quæsierat Januarius, quid per quintam feriam ultimæ hebdomadis quadragesimæ fieri debeat? ..... An jejunandum, & post cœnam tantummodò offerendum? ..... Discutitur factum Christi in Apostolis. Ad quod respondet Augustinus Epist. 54. c. 6. Liquidò apparet, quando primùm acceperunt Discipuli Corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ quod à jejuno semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Sed numquid & ideò culpanda foret praxis eorum, qui infirmo non jejuno extra necessitatis articulum de venia Ordinarii Eucharistiæ Sacramentum ex causis gravibus aliquando ministrarent?

DELECTATIO MOROSA.

1. Rerum vetitarum desideria, etiam inefficacia, voluntati reatum affricare, tam est evidens, ut à nemine in dubium trahi queat. Quin ubi res concupita est mortifera, ejusmodi desiderium etiam tale pronuntio. Si mens ita delectationi inhæreat, ut quamvis in re mala sibi complaceat, nullo tamen in peccati commissionem voto aut desiderio feratur, culpam non evadit. Sed an similis de re venerea simplex delectatio inter venialia delicta reponi possit? S. P. Augustinum levis tantum peccati nævum in similibus complacentiis conspexisse censet Neotericus ille; at in deprehendendis Sancti Præsulis sensis infelix nimiùm, & penè cœcus: absit ab intemerato Ecclesiæ Doctore tam perniciosa laxitas.

2. Doctrina hæc S. Augustino stetit immota, delectationes ejusmodi plenè deliberatas hominem totum æternæ damnationi involvere. Lege cap. 12. lib. 12. de Trin. & veritas jam asserta tibi fiet perspicua. Si alicubi forsan ejusmodi delectationes ad classem peccatorum venialium redigere videatur de illis intelligendus est, quæ absque deliberatione ad peccatum mortale requisita animum titillant. Porro defectu advertentiæ; seu facultatis plenè attendendi, culpam aliàs gravem, in venialem nonnumquam decrescere, receptum dogma est. Vide Vindiciarum §. 6. cap. 4. ubi Eminentissimus Pater præsentem materiam lucidissimè explanat.

3. Sed quid si aliquis inhonestæ cogitationi sic immoretur, ut ne vel complacentiæ alicujus scintilla suscitetur? Resp. talem peccato etiam mortifero videri obnoxium illo ex titulo, quod se manifesto lethalis complacentiæ periculo exponat, ideam turpem voluntariè retinendo, vel satis agnitam non repellendo. Ex talibus profectò initiis & complacentiæ scintillas, & libidinis incendia non raro suscitari, experimento notissimum. Non est tamen, cur piorum quorundam angantur Conscientiæ, quibus voluntate efficaciter obluctante repræsentationes tartareæ à spiritibus immundis sæpius ingeruntur.

ACCESSORIUM.

Largo Domino suo amantissimo appositè scripsit Augustinus, ut vana sæculi hujus, si inexperta concupiisset, experta contemneret; hac ratione: fallax est enim in eis suavitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas; Initium sine providentia, & finis cum pænitentia. Ita se habent omnia, quæ in ista mortalitatis ærumna cupidiùs, quam prudentiùs appetuntur. Porrò in his aliisque duabus ex causis peccamus, cum Augustino loquor, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit; sed profectò vincimur, nisi divinitùs adjuvemur, ut non solum videamus, quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate Delectatio *justitiæ vincat in nobis earum rerum* Delectationes, *quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus. Quantum ad vitæ institutionem momenti habeat* Delectatio, *hæc sancti Patris sententia affatim docet: quod magis delectat, illud sequamur necesse est. Sed ne victricem gratiæ* delectationem *humanæ libertati ex hoc capite opineris adversam. Etenim & SS. Patrum asserto, & quotidiano experimento liquet nonnumquam dilectionem Dei mundi dilectione marcescere; & justitiæ delectationem illicito voluptatum oblectamento, vehementiori vanitatis illicio superari ac, vinci omninò posse.*

BAPTISMUS SINE INTENTIONE.

1. Divinam extollit misericordiam vas misericordiæ Augustinus, dum sacrum Baptisma contemplatur, & dicit l. 3. de Symb. cap. 10. *Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quærit merita, prævenit gratiâ etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum liberati, qui à Diabolo in Adam antè tenebantur captivi.* Scilicet lymphis lustralibus, ex clementiæ cœlestis fonte scaturientibus abluuntur in Baptismate, sacramento novæ vitæ & salutis; sic ex aqua & spiritu sancto feliciter renati. Illos *misericordiæ filios* appellat Augustinus tract. 11. in Joann. Et verè sunt, tunc potissimùm cum plurimi, pereuntibus aliis, servantur ad vitam, non gustaturi mortem nisi abluti.

2. Tanta hujus Sacramenti est necessitas, ut nisi quis renatus fuerit &c. Hinc Sacramentorum Author Christus Dominus illud instituit in materia maximè obvia, aqua nimirum naturali, & in verbis tamquam forma, EGO TE BAPTIZO &c. Cum expressione, trium personarum SS. Trinitatis, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti*, Pars altera sine altera non perficit Sacramentum: proinde ut ministri actio intelligatur, totaque Trinitas audiatur, planè necessarium est. Absit ut quis credat aliter factum ab Apostolis, quasi verò Baptisma in solius Christi nomine aliquando collatum fuerit, atque probatum.

3. In necessitatis articulo ab hujus Sacramenti ministerio nullus excluditur, certus tamen ordo, qui potest, servandus: non æqualis personarum dignitas; nec in utroque sexu paritas. Nemo baptizat seipsum; non duo eundem, uno proferente formam, & abluente altero. Cæterùm non interest, inquit S. P. Aug. l. 3. de Bapt. cap. 14. cum de Sacramenti integritate & Sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum; interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Neque enim ad essentiam Sacramenti postulatur fides Suscipientis, sicut nec probitas Conferentis: sed sufficit, & requiritur intentio vera faciendi id, quod facit Ecclesia. Ita Concil. Florent. in instruct. Armeniorum, & Trident. sess. 7. can. 11. Numquid & S. Augustinus? Tantillum Augustino deferre noluerunt nonnulli ejus adversarii.

4. En vobis lapidem offensionis. Lib. 7. de Bapt. cap. 53. sic habet: *Quando totum ludricè & mimicè, & joculariter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione implorandum esse censerem.* Non hîc sibi plaudant Heterodoxi, mentientes suum esse Augustinum, dum intentionem inficiantur necessariam. Argus erat Pater augustissimus, illa potissimum tempestate, qua Catholicis insidiabantur Donatistæ, ut simpliciores, rerumve Ecclesiasticarum minùs periti à Schismaticis rebaptizantibus traherentur in errorem. Periculo cautum voluit Aurelius: errorem non docuit, quia Intentionis necessitatem numquam negavit. Fallor vel ex loco adducto id potest deduci invictissimè. Subtilis admodum, & omninò probanda, quam hîc Purpuratus Pater habet, distinctio, de DUBIO FACTI, & DUBIO JURIS: hoc modo dubitat Augustinus, non illo.

ACCESSORIUM.

Augustinus absente Valerio cum comperisset Maximinum Donatistam Seniti in vicinia Hipponensi Episcopum rebaptizasse Diaconum: enorme facinus ut crederet, induci vix potuit. Ea super re monet Maximinum epist. 23. rogatque, ut quid gestum sit, rescribat, aut ad colloquium singulare descendat, ut Ecclesiæ instauretur unitas. Utrum fecerit, pro comperto non est, constat tamen ad Catholicam pacem revertisse Maximinum, qui erraverat gravissime. Minus erravit Cyprianus; erravit tamen, dum ab Hereticis venientes rebaptizavit. Maximinus Augustinum nactus est monitorem, Cyprianus Defensorem. Hoc Defensore Cyprianus à culpa mortali absolvitur; hoc monitore Maximinus gravi schismate feliciter liberatur. Sic Augustinus palma duplici vindex gloriosus.

§. 11.

§. II.

INVASORIS VITÆ OCCISIO.

I. Sancti Augustini Theologia hic sublimior, quam ut à carnalibus & mundanis facilè percipi possit. Quantò in pretio & amore cunctis vita corporis sit, non est cur edisseram; hanc tamen inter ea S. Præsul abjicit, quæ à Sapiente contempta oportet, ea ratione quod invito eripi queat. Ex hoc principio l. de lib. arb. concludit occulta quadam Lege reos teneri, qui pro conservatione rei adeò vilis humana cæde polluuntur. An hic cœcutierit Doctorum Aquila, & à verò deflexerit? Ita nempe visum est Theologo illi, sed verè cœcutienti.

2. Hoc S. Augustini dogma, quod illicitam Legique æternæ dissonam tradit occisionem invasoris vitæ, etiam quando alia necem evadendi via non patet, solidum & inconcussum tuebimur. Nec ex posterioribus ejusdem operibus aut sacris litteris deprometur quidpiam, quod cum hac prima Sancti Doctoris sententia conciliari nequeat. Mutatio capitalis ultimæ Editionis Parisiensis circa famosum S. Patris locum lib. 1. de libero arbitr. cap. 5. qua verba, quæ hactenus Augustini habita fuêre, Evodio tribuuntur, nostrum de Augustini mente judicium non immutat. Quo pacto quis actionem certò occisivam ponens, mortem invasoris possit nullo modo intendere, non assequimur. Sanè si ideo mors ne vel indirectè intendatur, quia Occidentis intentio in aliud fertur, quod bonum est, & fine ejusmodi occisione haberi nequit v. g. in conservationem vitæ; consequens est, etiam illum, qui ob conservationem crumenæ, militem jugulat, necem ejus non intendere.

3. Neque ex Scriptura, neque ex jure Canonico quidpiam adduci potest, quod huic doctrinæ non modò à S. Augustino, sed & Ambrosio, & Bernardo traditæ, officiat. Si quis densam nobis Casuistarum nubem objiciat, Eminentissimum Patrem pro nobis respondentem audiat: *facessat novorum Casuistarum timor, suos illis relinquamus Tamburinos & Bannios; nos Ambrosium & Augustinum audiemus, cum quibus gloria vertetur non modò sapere, verum etiam, judicibus Casuistis, errare. Nonne autem*, ut apud Eundem, *illa Sanctissimorum ac Doctissimorum Patrum Trias præponderat integra Centuria Casuistarum?*

4. Si occulta naturæ Lege vetita sit vitæ invasoris occisio, firmissimæ consequentiæ filo deducimus, etiam nefas esse Raptori honoris, pudicitiæ, famæ, & bonorum temporalium, vulnus certò lethale infligere. Modò dogmati jam proposito probabilitatem, uti certò debes, concesseris, ineluctabili nexu eò traheris, ut illud in praxi tenendum admittas: si enim verosimile sit defensiones illas occisivas secreto naturæ mandato prohiberi, eas exercens, periculo te exponis immutabilem Legis illius naturalis regulam violandi: quod non illicitum nemo dicere ausit.

5. Sed non igitur citra vitium poterimus amare vitam corporis? Ita sibi opponit Eminentissimus Pater, & respondet, uti solet, utique Augustinianè & aureè: nos posse amare vitam corporis, ac reliqua Corporis bona utendo illis, non fruendo. Cæterùm ut hæc Augustini doctrina, à qua omnis morum perversitas, aut rectitudo pendet, probè intelligatur, observandum sedulò duplici nos modo vitâ corporis, aut creatura qualibet frui. 1. ubi voluntas tenaciter adeo ipsi adhæret, ut Deo præferat, & plusquam Creatorem amet: altero, quando propter se quidem diligitur, ita tamen, ut Dei dilectio amori isti prædominetur. Fruitio prima ex mente Augustini lethifera est; secunda ex se tantùm venialis.

ACCESSORIUM.

Augustinus ut nusquam quiescere pateretur Donatistas, illos quaquaversum persequitur, non violentia, non plagis, non injuriis (quod Donatistis erat solemne) sed prædicationibus & Disputationibus. Prò! quanta hinc in virum concepta est invidia! odium quantum! Remittunt litteras, non dignantur Rescripto, à collatione, licet provocati, abhorrent. Loquuntur furiosa, Seductorem, Deceptoremque conclamant Augustinum, velut Lupum in defensionem Gregis occidendum:

accinguntur

accinguntur armis, parantur tela, bacchantibus per agros & villas Circumcellionibus. Sed errore saluberrimo, Deo moderante, evadit Augustinus, homicidium non sentit, etiam dum homicidii reatus premit Donatistas. Usque adeo actus externus malitiam internam non auget, nec minuit: per accidens tamen, adaucta scilicet voluntate, malitiæ aut bonitatis aliquid actui externo adjicere potest.

§. 12.
APPENDIX.

Cum Vindicias Augustinianas, à viro Eminentissimo sapientissimè olim procusas, hisce thesibus ut undequaque solidas, palam exposuerimus, haud abs re erit alias quasdam Sancti Patris sententias hic attexere, undique tueri, quæ nauseante stomacho in Belgio à nonnullis rejiciuntur, immò duriusculè vapulant subinde.

PRimo loco occurrit inconditum cujusdam in Augustini authoritatem assertum, qui nupero Alexandri VIII. Decreto aliquam S. Præsulis propositionem esse confixam dictare non formidavit. Dicti adeò insoliti rationem accipe. Propositio 25. inter proscriptas ab Alexandro, ita sonat: *Dei Patris simulachrum nefas est Christiano in templo collocare.* Porrò S. Aug. lib. de fide & symb. cap. 7. planè idem docet his verbis: TALE ENIM SIMULACHRUM (Numinis ut humanâ formâ circumscripti) *nefas est Christiano in templo collocare*; ergo.

Cæterùm eodem tenore edicere debuerat, etiam Concilii Illiberitani assertionem aliquam ab Ecclesia jam esse damnatam, cum prorsùs similia can. 36. ibidem legantur. Ego verò & Synodum prædictam, & S. Augustinum facilè salvo. Ubi enim Præsul Hipponensis illa exaravit, & Concilium Illiberit. sanxit, ex ejusmodi simulachris scandalum & insultatio Gentilium prudenter timebatur: hi namque apprehensionem idololatriæ (quam Christiani in Gentilibus carpebant) facilè concepissent, nosque Corporeum etiam Deum adorare sparsissent. Tunc ergo vetitum erat, quod modò nefas non est. Dic, obsecro, Si quis modò esum Sanguinis & suffocati dogmatizaret illicitum, nonne ejus assertum meritò proscriberetur? An quis ideò propositionem in 1. Apostolorum Concilio assertam, & à Discipulis eorum traditam, ab Ecclesia damnatam dicere auderet? Paritas evidens est; quare ad alia pergo.

2. Quod S. Patris Augustini opiniones nonnullas hodie Catholica fides reprobet, Thesi prælo edita, Mechliniæ nuper defendit vir quidam Eximius. Sed asserti sui velut Pœnitens, Dicti acerbitatem molliori explanatione complanare non diu pòst visus est, quamquam impressum illud excusationis folium non plenè satisfaciat Eruditis.

3. Omnia Creaturæ rationalis opera deliberata, charitate scilicet actuali vel virtuali ad Deum ceu finem ultimum esse referenda, verbis meridiano sole clarioribus docet Præsul Hipponensis locis penè innumeris, quod etiam Sacrarum litterarum authoritate confirmat. Mirum sanè videri possit, hanc adeò piam, fundatamque doctrinam Privatorum censuras, aculeosque effugere non potuisse. Olim in Bajo clamabatur proscripta, modò ab Alexandro VIII. iterato fulmine icta dicitur. Operam profectò Ecclesiæ parùm utilem præstant, qui Bullas Pontificum eò trahunt invitas, ut tam pia, solidaque dogmata inter Catholicos celebria, videantur configere. Nos sensum ab Augustiniana de referendis in Deum operibus doctrina longè diversum, immò S. Patri palam adversum, in articulis vel à Pio V. vel ab Alexandro VIII. vel alio quovis Pontifice damnatis assignabimus, in quem Censura Apostolica cadat, quo S. Augustinum, ejusque Alumnos abundè credimus vindicatos: etenim ubi articuli à Sede Apostolica proscripti varios sensus preferunt, nemo ambigit, quin sensum SS. Patrum & Catholicorum Doctorum damnationi subductum oporteat, ita ut soli sensus alieni & exotici lnant.

4. Alia quædam est momenti longè maximi S. Augustini doctrina, à qua Salus dependet animarum, nempe nemini sine amore Dei super omnia, etiam in Sacramento, justificationem obtingere: quam duriùs carpi indolemus. Quin hisce modò ad prælum paratis, oculis nostris

ftris objicitur Thesis, in qua adversus Theologos benevolum Dei super omnia amorem requirentes, ita quidem ut timorem charitatis consortio destitutum in se bonum pronuntient, sic ponitur: *praterquam quod hac aliaque ejusmodi, qua adferunt effugia, id efficiant, ut vix aut ne vix quidem intelligas, quomodo ad damnata, Baji, Jansenii, Lutheri &c. Dogmata proximè non accedant.* Verum Superis Laus, quod socios habeamus Eminentissimos Ecclesiæ Principes, Episcopos, aliosque viros toto orbe clarissimos, quos hæc dicta perinde ac nos tangunt. Similia sanè in materia de gratia authori Thesis reponere nobis esset perfacile; sed dumtaxat modò respondere lubet, quod Assertor ille ad id, quod res est, non tantùm non accedat proximè, sed a vero aberret longissimè: tantum enim dogma hoc Augustinianum à damnatis quibusvis distat opinionibus, quantum ab Occidente Oriens, à falsitate veritas. Si quis distantiam, quamvis adeo latam, visu forsan caligante, non satis perspiciat, oculos lubenter adjuvabimus, immò diversitatem nos inter & Lutherum, Baium, Jansenium &c. utraque manu palpandam dabimus. Et hoc, adjuvante Deo, demonstrabimus clarissimè, quod actio bona, uti est timor, in se bona permaneat, quamvis debita in Deum relatione destituatur.

Omissis variis, quibus sententia nostra nititur, fundamentis, unam dumtaxat ejus probationem profero. Palam enuntiat Apostolus 1. Corint. 13. *Si tradidero Corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Interpretationem sancti Augustini junge: *Oportet vos scire fratres, in omnibus praceptis Charitas obtinet principatum, sine cujus perfectione nihil placere Deo posse Paulus Apostolus testatur; quia nec Martyrium, nec saculi contemptum, nec eleemosynarum largitionem sine charitatis efficio quidquam proficere posse ostendit. Unde & ipse Dominus à quodam Scriba interrogatus, quod esset mandatum maximum, respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua...... Quod vero ait, EX TOTO CORDE ET EX TOTA ANIMA, ET TOTA MENTE, id est, tote intellectu, tota voluntate, & ex omni memoria Deum esse diligendum.* Serm. 53. de Temp. Junge inquam, & clarè videbis Apostolum loqui de charitate actuali, sive de charitatis officio, de quo Christus Matth. 22. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO, quæ dilectio haud dubiè est super omnia. Atqui sine charitate ejusmodi nihil omninò, nec ipsum Martyrium (quod non minus quam Sacramentum justificat) Deo placere potest, sic nempe, ut proficiat ad Salutem; Ergo &c.

Cæterùm id adjicio: me iis non suffragari, qui contritionem perfectam ex perfecta Dei charitate natam per se, & stata Lege justificantem, cum Sacramento exigunt.

Concilium Trid., quod nobis adversum opinantur alii, sententiæ necessitatem Charitatis cum Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ adstruenti multùm patrocinari, clarissimè nuper ostendit. Reverendissimus Porphiriensis, adhibitâ historiæ Tridentinæ Lucernâ ab Eminentiss. Card. Pallavicino accensâ.

Quod suam, nostramque de necessitate charitatis cum Sacramento doctrinam in contextu historiæ infirmis muniat rationibus, auditum est hic nuperrimè, non absque multorum admiratione ex viro, à quo Cardin. tanti commendationem expectare meritò potueramus: an responsiones ejusmodi authoritatem Eminentissimi Ecclesiæ Principis pro Synodo Tridentina decertantis, satis salvent, viderit ipse. Nos interim Pallavicinum tuebimur, & ipsum necessitatem charitatis cum Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ firmissimâ consequentiarum texturâ ex actis Tridentini & verbis Patrum elicere, sustinebimus.

5. Quisquis docet fas non esse præjacente materia, seu dispositione in Pœnitente dubia, aut incerta, extra casum necessitatis extremæ & moralis, ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ procedere, Ducem sequitur Augustinum, utpote qui generali asserto gravis peccati reos declarat, quotquot in rebus ad salutem animæ pertinentibus certis incerta præponunt, & altùm ubique clamat; tene certum, dimitte incertum. Quicumque ergo practicam hanc regulam acriori dente mordet, unà S. P. Augustinum impetere deprehenditur. Perfacile nobis apparet omnia in hanc doctrinam objecta diluere. Immò non videmus, qui aliquis ab hoc dogmate aversus esse queat, qui attentè consideraverit Sacramentum periculo nullitatis, & gravis admodum irreverentiæ exponi, ob in materia incerta administratur, hominemque insuper in reatu peccati, & statu damnationis verosimiliter relinqui. Præter viros toto orbe Christiano notissimos nobis adstipulantes, quorum Catalogum hic recensere non lubet, etiam nobis suffragari videtur Eminentissimus

nentissimus Card. D'Aguierra in Ratione Operi notissimo præfixa, ubi ait: *Certè nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo, aut pharmaco solùm probabiliter sano, quod tamen æquè, aut magis probabiliter censeatur noxium & exitiale futurum, quare ne exponat se probabili, aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certò innoxium aut salutiferum. Cur ergo vita animæ, & Salus æterna longè pretiosior passim exponetur probabili periculo opinionum liberiorum?*

6. Si quis ritè expendat articulum 1. inter illos, quos Innocentius XI. proscripsit, hanc regulam Augustinianam ambabus amplectetur ulnis, & in administratione Sacramentorum fragili probabilitatis fulcro inniti formidabit. Propositio perstricta sic sonat: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore* &c. Illicitum ergo ex Oraculo Apostolico, hoc assertum damnante, vel certè periculosum forma vel materia probabili, Sacramentum administrando, uti, quando nulla urget necessitas. Inferes forsan: fas non esse Pœnitentem sola servili attritione præditum extra casum necessitatis absolvere. Concludis validè, cum ejusmodi attritio non nisi materia Sacramenti probabilis dici queat.

Sunt quidem qui Attritionis ex solo timore nascentis sufficientiam omninò certam asserere non dubitant. At quo fundamento? Faciliùs ostendero certum esse, amorem Dei super omnia in Sacramento requiri, quam Attritionem merè formidolosam sufficere. Ubi tamen extrema premit necessitas, & Pœnitens periculo mortis exponitur, omninò absolvendus est, quamvis dubia sit & incerta ejus Conversio & Contritio. Non desunt qui in illo necessitatis articulo, ad removendum à Sacramento nullitatis & irreverentiæ discrimen, adsolutionem conditione limitandam volunt: quorum opinio non apparet absona. Immò etiam præter extremæ necessitatis mortisque imminentis angustiam rationes adeò validæ possunt occurrere, ut Confessarius quasi cogatur Absolutionis beneficium impertiri, licet de idonea Pœnitentis dispositione certitudinem aut securitatem non habeat. Necessitas tum moralis (ita haud incongruè appellatur) Confessarium de formali actionis suæ honestate practicè securum reddit. Sed moralis hæc necessitas non adeo extendenda, ut passim dicantur Confessarii moraliter necessitari ad absolvendos dubiè dispositos.

7. Notum est illud S. Augustini: Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas. Etiam in eodem Patre obvium est, Charitatem in corde hominis 1. quidem concipi, deinde nasci, postea nutriri, demum roborari & confortari, ut hisce quasi gradibus ad perfectionem provehatur. Profectò fallor admodum, aut ex hisce principiis, uti etiam ex præparatione ad Baptismum aspirantis à Tridentino delineata, lucis multum derivari possit, ad decidendam præsentem, quæ hic in Belgio fervet, controversiam de modo, quo vera cordis conversio in amore Dei super omnia consistens à gravioribus peccatoribus comparari soleat. Verùm in hoc Oceano vela modò latiùs expandere nolim.

MANTISSA.

Non nulla, quæ in Vindiciis Eminentissimi Patris alterius videbantur indaginis, compendii gratiâ transivimus. Verùm hic paucis asserimus, quod S. Augustinus neque de mundi Creatione, neque de anima rationali, aut ejus origine, neque de Angelis aut sideribus quidquam docuerit, quod pro dedecore ipsi, aut ejus filiis objici queat.

Soliditas quoque elogiorum, quibus Pontifices, Concilia, & Doctores orthodoxi S. Patrem, ejusque dogmata mirificè commendant & exornant, immò & infirmitas eorum, quæ ex adverso proferuntur, à viro Eminentissimo tam feliciter sunt exhibita, ut nihil ultra desiderari possit. Manum igitur ab hac tabula tollo, dum interim omnia hisce Thesibus contenta judicio Sedis Apostolicæ humiliter submitto.

OMNIA IN GLORIAM DEI.